

Incipit libellus sancti Bernardi abbatis  
super dolorem beatissime ac semper virgi-  
nis marie quem habuit d filio suo in cruce  
pendente.



**M**is dabit capiti meo aquam  
et oculis meis imbrem lachrymarum vt  
possim plorare die ac nocte donec seruo  
suo dominus iesus appareat visu vel so-  
no consolans animam meam: **Q** vos fi-  
lie iherusalem sponse dilecte dei vna me-  
cum lachrymas fundite donec nobis no-  
ster sponsus in sua speciositate beni-  
gnus et suavis occurrat. **R**ecolite recolite et sedula mente pen-  
sate qua sit amarum ab ipso separari cui vos nupsistis: cui vos in  
omni sanctitate vouistis: vt uultis uota reddite ea vos ipsas chri-  
sto vouistis vos ipsas reddite christo. **C**urrite filie currite virgi-  
nes sacre: currite matres christo castitatem uouentes omnes ad  
virginem: currite que genuit christum ipsa enim portauit regem  
glorie illum omni corde petenti datura ipsa genuit eum lactauit  
eum et die circuncidit octauo. in quadragesimo presentauit in  
templo duas turtures vel columbas pro eo offerens holoca-  
stum: fugiens herodem portat in egyptum lactans et nutriens  
eum curam illius habens sequebatur eum fere quocumq; per-  
gebat. **C**redo firmiter qd erat inter illas feminas que christi-  
stum in passione sequebantur ministrantes ei nullus inde ad-  
mirari debet si sequebatur eum cum ipse esset totus eius dul-  
cor et desiderium. **I**taque arbitror inter illas fuisse dolentes inter  
illas gementes qd flentes lamentabantur dominum: poterat hec  
etiam esse inter illas feminas filias iherusalem ad quas iesus no c'a  
rus imperto sed plen' opprobrio iputis illitus: plagis afflictus:

a ij



UNIVERSIDAD  
DE SALAMANCA

CREDOS.USAL.ES

sibi in angariam mortis baiulans crucem conuersus ait. Filie  
iberusalem nolite flere super me sed super vos ipsas flete et su-  
per filios vestros. Putas me domina mea domina mundi dile-  
cta mater eiusdem christi est ne verum quod dico en obsecro vt  
dicas seruulo tuo decus paradisi gaudium celiveritatem huius  
rei. obliuiscere rogo tantum doloris quem te tunc passam non  
ambigo. O vtinam dolor ille sic quottidie inhereret visceribus  
meis sicut inbesit tunc tuis. o vtinam die qua assumpta fuisti in  
celus vt ineternu cum tuo gauderes dilecto mihi tuas lacrimas  
indicasses: vt per illas cognoscerem quantus tibi amaritudinis  
fuit cum iesum dilectum tuum videres crucifixum. Heu heu et  
parum olim dilectum mihi clavis esse in ligno confixum capite  
inclinato suum sanctissimum exalare videres spiritum. Sed pe-  
to ne te moueant verba que dico cum tamen saxa deberent scin-  
di ad illa. quis nunquam regnas in celo sursum vel in terra pere-  
grinans deorsum audiens vel mente pertractans quomodo fa-  
ctus es opprobrium hominum ipse deus angelorum. Abiectio  
plebis factus est filius dei patris. et quis poterit lacrimas con-  
tinere et in celo vbi impossibile est flere: quare non plango miser:  
verum tamen tu gaude gaudio magno ab ipso nunc glorificata  
in celis que in mente tantis clavis amarissime fuisti confixa sue-  
pissime mortis interris. Adibi tamē obsecro infunde lacrimas  
illas quas ipsa habuisti in sua passione et vt his affluam largius  
de passione filij tui et domini mei verba ad inuicem conferamus  
tenens promissiones redde quia hoc nobis superius promissisti.  
Ademini te mihi in primo exordio nostri sermonis fuisse locutur  
de doloribus quos ipsa portasti pro morte vnigeniti tui: quod vt  
audiui non modicum perturbatus cepi querere dolens qui essent  
ille tu sermones: cui ipsa dixit qui sunt isti mei sermones: interim  
recogita in amaritudine anime tue donec de his in consequenti  
bus ad inuicem conferamus: enarrare te flagito serie veritatis que ma-  
ter est summe virtutis ad quam illa illud quod quis copuntio est magni

doloris. Sed quia iam glorificata sunt flere non possum. Tu vero  
cum lacrymis scribe que cum magnis doloribus ego persensit: cui in  
quam flere peropto et nihil aliud mihi libet sed miser cor lapideum  
habeo ideoque flere non possum. Regina celi mater crucifixi da quod  
iubes prebe quod cupio: audit seruus tuus tu dic domina dic do-  
mina mea dic mater si in hierusalem eras quando captus filius  
tuus fuit vincitus et ad annam tractus et ductus. Cui illa respondit  
in hierusalem eram quando hec audiui et vix potui ad dominum  
meum flens peruenire: cumque illum fuisset intuita pugnis per-  
cuti alapis cedi in faciem conspui spinis coronari et opprobriis  
hominum fieri comota sunt omnia viscera mea et desecit spiri-  
tus meus et non erat mihi fere vox neque sensus. Erant mecum mee  
sorores et alie mulieres plangentes eum quasi vnigenitum inter  
quas erat maria magdalene que super omnes illa excepta que  
tecum loquitur dolebat. Cumque christus deus preconne clamate  
pilato imperante sibi baiulans crucem vt ad supplicium trahere-  
tur factus est concursus popolorum post eum euncium et concul-  
cantium ipsum. Alii super ipsum euntes ridebant ei illudentes alii  
proicientes lutum et in mundiciam super caput eius. Heu heu  
percucitur facies decora quam desiderant angeli prospicere quam  
cherubin et seraphin ardentem prospiciunt velatur vultus spu-  
tis linitur et alapis ceditur. Sequebar et ego ipsum prout poteram  
mellissima mater eius cum mulieribus que sequute eum fue-  
rant a galilea ministrantes ei: a quibus velud emortua tenebar  
quousque peruentum est ad locum vbi crucifixerunt eum. Ante oculos  
meos fuit in cruce leuatus et in ligno dirissimis clavis affi-  
xus ego videns eum et ipse videns me plus dolebat de me quam  
de se ipse vero tanquam agnus coram tondente se vocem non da-  
bat neque appariebat os suum. Aspiciebam ego in felix et misera do-  
minum meum et filium meum in cruce pendentem et morte tur-  
pissima moriente tanto dolore et tristitia verabar in mente quan-  
tus non posset explicari sermone. Nec mirum discurrerat enim

sanguis ex quattuor partibus rigantibus undis ligno manibus  
pedibusq; clavis confixis de vultu illius omnis effluerat pul-  
chritudo ⁊ qui erat p̄ filiis hominum speciosus videbatur om-  
nium indecorus. Videbant q̄ complebatur propheticum illud  
in eo. vidimus eum et nō erat ei species neq; decore quia iniquo-  
rum iudeorum illum fedauerat liuor. Hic erat dolor maximus  
quia videbam me deseri ab eo quem genui: nec superarat alius  
quia mihi erat vnicus et ideo non poterat in me capere dolor  
meus vox mea fere perierat oīs: sed dabam gemitus suspiriaq;  
dolorum: volebam loqui sed dolor verba rumpebat verbis iam  
mente contemptum dum ad formationem protenderet horum  
ad improfectus eum reuocabat dolor non minimus cordis: vox  
tristis sonabat foris vulnus denuncians mentis: verba dabat  
amor que rauce sonabāt nam lingua vocis magistra perdiderat  
vsum loquendi videbam morientem quem diligit anima mea  
tota liquefiam p̄ doloris angustia aspiciebat ipse cum beni-  
gnissimo vultu suo me matrem plorantem et verbis me voluit  
consolari paucis. Sed ego consolari non potui flebam dicendo  
dicebam plorādo. Fili mi fili mi: ve mihi ve mihi: quis dabit mi-  
hi vt ego moriar pro te. O misera quid faciam moritur filius  
meus cur secum non moritur misera mater eius. Ad fili fili mi  
amor vnite fili dulcissime noli me derelinquere postea trabe me  
ad te ipsum vt ipsa moriar tecum: male solus moreris tecum  
morte perimatur ista tua misera genitrix. O mors misera noli  
mihi parcere tu mihi sola p̄ cunctis places exhere vires tru-  
cida matrem matrem cum filio perime simul. Fili dulcor vnice  
figulare gaudium vita anime mee. Omne solacium fac vt ego  
ipsa moriar que te ad mortem genui sine matre noli mori. O fili  
recognosce miseram ⁊ exaudi precem meam decet enim filium  
exaudire matrem desolatam exaudi me obsecro in tuo me susci-  
pe patibulo vt qui vna carne viuunt et vno amore se diligunt  
vna morte pereant. O iudei impij o iudei miseri nolite mihi

parcere ex quo vnicum natum meum crucifixistis et matrem  
rucifixite aut alia quecunq; morte seua perimite dūmodo cum  
filio simul meo moriar ⁊ ego: male enim solus moritur. Orba-  
tur orbem radio ⁊ me in dei filio gaudio dulcoris. Vita mea mo-  
ratur salus mea perimitur ac de terra tollitur omnis spes mea.  
cur ergo viuit post filium mater in dolore: tollite suspendite ma-  
trem cum suo pignore non parcis proli non parcas ⁊ matri. Tu  
mihi soli mors esto seua nunc summe gauderem mori possem  
cum filio simul meo: dulce est mori misere sed mors optata rece-  
dit. Ne mihi infelix tibi precipita venit morte mori melius est  
mihi q̄ vitam ducere mortis: sed fugit an misera ⁊ me infelicem  
relinquit cui ipsa mors multum optata nunc esset. O fili chare  
o benignissime nate misere matris tue suscipe preces: desine ma-  
tri nunc esse durus qui cunctis fuisti semper benignus. suscipe  
matrem tecum in cruce vt viuant tecum semper post mortem  
nil vere dulcius est mihi q̄ amplexando te in cruce commori te-  
cum et nihil amarius est mihi quam viuere post tuam mor-  
tem. Ne mihi tu mihi pater: tu mihi sponsus: tu mihi filius: tu  
mihi omnia eras: nunc orboz patre deseror filio viduor sponso  
et omnia perdo: ⁊ fili mi vltra quid faciam ve mihi ve mihi:  
quo vadam charissime quo me vertam dulcissime quis mihi so-  
lium piissimum quis mihi de cetero subsidium prestabit fili dul-  
cissime: omnia possibilis sunt tibi ⁊ si non vis vt moriar tecum  
mihi saltem relinque aliquod benigne consilium. Hec omnia  
dicens dominus iam anxius in cruce oculis et vultu annuens  
de iohanne ait. Mulier ecce filius tuus erat enim iohannes pre-  
sens vultu tristis lachrymis semper plorans ac si diceret: o ma-  
ter dulcissima mollis ad flendum mollis ad dolendum tu scis  
quia ad hoc veni et de te carnem assumpsi vt per crucis pa-  
tibulum saluare genus humanum quomodo implebuntur scri-  
pture sic enim oportet me pati pro salute generis humani  
die nam q̄ tertia tibi et discipulis meis patenter apparens



resurgā. Desine flere dolorē deponē q̄ ad patrē vado ad gloriāz  
paterne maiestatis percipiendā ascendo: immo cōgratulare mi-  
bi quia inueni ouem erroneam quam tan longo tempore perdi-  
deram. moritur vnus vt ex inde resurgat totus mundus vnus  
ob meriti ceteri periere minores saluantur cuncti nunc vnus  
ob meritum: quod placet deo patre quomodo displicet tibi ma-  
ter delicta calicem quem dedit mibi pater non vis vt viuam il-  
lum noli flere mulier noli plangere speciosissima mater nō te de-  
sero non te derelinquo tecum sum & tecum ero omni tempore se-  
culi. si secundum carnem iaceo imperio mortis secundum diui-  
nitatem suum fui & ero semper immortalis & impassibilis: bene-  
scis vnde potessi et veni quare ergo tristaris si illuc ascendo  
vnde descendi tempus est ad eum vt reuertar qui me misit et  
quo ego vado tu non potes venire modo venies autem postea.  
Interim iōānes qui est nepos tuus decetero tibi reputabitur fi-  
lius curam habebit tui & erit ipse solacium fidelissimuz tui. & de  
inde iōannem intuitus ait ecce mater tua ei serutes & curā illius  
habe eam tibi comendo suscipe matrem suscipe tuam matrē im-  
mo magis suscipe meam: ei pauca dicens duo dilecti semper la-  
chrimas fundere non cessabant tacebāt isti virgines ambo quia  
pre dolore loqui non poterant isti martires duo audiebant chri-  
stum loquentem ipsum q̄ videbant paulatim morientem neq̄  
ei poterant respondere verbum quia ipsum videbant iam quasi  
mortuum. Erāt enim isti duo velud mortui vnde spiritus eoruz  
voces exalare nequibant defecerat enim spiritus eorum & amise-  
rant virtutem loquendi audiebant et tacebāt quia pre angustia  
loqui non poterant. Solus illis remāsit dolor luctusq̄ amictus  
amabant flere & flebant amare amare flebant quia amare dole-  
bant nam gladius christi animas vtriusq̄ transibat: transibat se-  
uius seuēq̄ perimebat vtrunq̄ quem magis ac magis amabat  
seuioz fiebat in matre. Mater sētiebat christi dolores virgoq̄ pe-  
perit gladium est passa doloris christi morientis vulnera matris

erant christi dolores seui fuerunt tortores in anima matris: ma-  
ter erat laniata pignoris morte mente martir erat percussa cus-  
pide teli quo membra christi seui foderunt iniqui. Ipsa enī erat  
que magno dolore tenebatur in mente creuerant in immensum  
dolores & non poterant extra refundi: intus acriter seuientes do-  
lores nati matris animaz gladiabant: in carne christus soluebat  
debitum mortis quod grauius erat quam mori animam ma-  
tris. Interīz christus comendata matre iōanni ait scio & dede-  
runt ei qui crucifixerunt eum acetum cum fele mixtum: qui cum  
gustasset noluit bibere sed ait consumatum est & exclamauit vo-  
ce magna dicens. Heli heli lamazabatani hoc est deus deus me-  
us quare me dereliquisti: & sic dicens expirabit. Tūc tremuit ter-  
ra sol sua lumina clausit. Mērebant poli merebant & sidera cun-  
cta. Omne suum iubar admittit luna dolendo recessitq̄ omnis  
fulgor: ab ethere alto. scinduntur duri lapides scinduntur & fa-  
stigia templi. Surrexerūt multi apertis tumulis sepulti paten-  
tes cum voce publica deum. Cogitari libet quātus dolor tunc e-  
rat in matre cum sic dolebant que insensibilia erat non lingua lo-  
qui nec mes cogitare valebit quanto dolore tunc anima teneba-  
tur marie. Juxta crucez christi stabat emortua mater quem est  
concepit virgo de spiritu sancto vox non erat illi dolor abstulerat  
vires iam mortua iacens palebat in anima viuens viuebat mor-  
riens viuensq̄ moriebatur nec poterat mori que viuens mor-  
tua erat in anima dolor seuē seuebat illius. Post christi mor-  
tem mori magis quam viuere optabat que male viuens mortua  
tenebatur ibi stabat dolens confecta dolore seuo spectabat chri-  
sti corpus de cruce deponi hec plorabat dicēs atq̄ dicendo plo-  
rabat heu me. Deu me reddite nūc misere vel corpus exanime  
complestis vota stinctum deponite matri vel si libet me magis  
morte iungite illi vt cum suis pereant dolores & finiantur. De-  
ponite queso illum deponite mibi vt valeaz mecum habere eius  
exanime corpus / mibi sola mē erit vel saltiz sic defunctus. Jux-

ta crucem christi stabat maria considerans cum vultu benigno christum pendentem in crucis stipite seuo. Pedibusq; imitens in altum manus leuabat amplectens crucem ruens in oscula eius Christi quam parte sanguis vnda et rigabat vt christum valeret amplecti: et quia non poterat sursum volebat extendere manus sperat amor multa que raro vel nunquam fieri possunt sibi cedit cuncta amor impatiens credit. Volebat amplecti christum in alto pendente sed manus iude frustra tense in se complexa redibant: se leuans a terra rursus erigebat ad christum. Et quia tangere illum nequibat male collidebatur in terra prostrata iacebat in mensurate doloris depressa sed eam erigere compellebat vis magni amoris intensa in impetu amoris surgebat intensis manibus a tractare cupiens christum: erat vero magno cruciata dolore et terram iterum petere eam cogebat. Quam mali illi tunc erat grauius illi erat viuere tali vita quam mortis gladio ab impijs seuo necari tanquam mortis pallor eius perfuderat vultum tangens et ore rubea erat christi cruore. Cadentes guttas sanguinis ore tangebatur. Terram deosculans quam cruoris vnda rigabat. Interim quidam vir nobilis nomine ioseph quia erat discipulus eius sed tamen occultus confidenter ad pilatum ingreditur sibi postulans dari corpus domini ihesu concesso sibi aretescunt quendam virum sapientem legis peritum discipulum christi occulte similiter nomine nichodemum et inuenerunt ad locum vbi crucifixus erat dominus secum instrumenta ferentes: quibus clavis euulsis de cruce possent deponere christum. Quod dum mater eius vidit eos volentes deponere ipsum quasi de morte confurgens paululum reuixit spiritus eius et illis quod poterat adiutorium impendebat. Unus clauos de manibus traherat: alius ne caderet corpus exanime sustinebat. Stabat maria et brachia leuans in altum et caput et manus dependentie christi supra pectus triste traherat suum: que dum attingere valuit oculis in amplexibus ruens de suo dilecto licet

extincto faciri non poterat: hec dum de cruce depositum fuit supra ipsum ruens pre instancia doloris et immensitate amoris quasi mortua stetit. Stabat ad caput sui extincti filij mater maria lachrymis faciem eius rigans per diuersa torquebatur suspiria et multotiens caput amarissime plangens suis manibus percutiebat dicens o inquit fili charissime quare iudei ita crudelissime te crucifixerunt in gremio enim meo te mortuum teneo tristissima est mater tua quid faciet ista misera mater. **U**e mihi fili vbi est meum gaudium quod in natiuitate tua habui. **U**e mihi in quantum dolorem versum est gaudium illud fili mi quid restat nisi vt ego nunc moriar. **S**uccurre mihi et tuum sanctum spiritum in me refunde. **I**nterim frontem et genas oculos quod simul nasum et ora frequentius osculabatur illius lachrymarum tanta vbertate fluebat vt carnem cum spiritu omnem in lachrymis resolui putares. **R**igabat lachrymis sancti filij corpus positum quo fuerat lapideq; madebat in quo eius lachryme adhuc apparere feruntur illius facta reuocabat ad mentem quis vel qualis fuerat quem ipsa virgo concepit sine libidine et peperit sine dolore: qui ei erat omne quo ipsa vivebat tanquam deus et dominus suus et vnicus filius eius: et sic male et erat sicut esse poterat et esse debebat. **U**nde dicebat dic fili dulcissime dic amor vnice vite mee singulare gaudium anime mee vni cum solacium. **Q**uare sic me permittis dolere mater tam longe factus es a me deus meus consolans animam meam respice me et miserere mei. **D**a imperium filie tue et saluam fac virginem matrem tuam dicat si potest quicumq; dicere cupit que christi matrem tenebat mensura doloris. **V**irginis dolorem posse narrari non credo tamen rectus erat amoris continens modum nec desperabat sed pie iusteq; dolebat. **Q**uem genuit virgo et morte dapnatum dolebat sperans tamen ipsum resurgere tertia die quedam cum illa plorabant femine sancte quarum paucus erat numerus paucisq; viro:um qui lugerent christum si-



mul cum virgine matre. Erāt z angeli simul cum illa dolentes. Dolebant quidem pio z iusto dolore compatiēbantur in morte christi dolendo. Gaudentes quod redimebat genus humanum flebant vt arbitror amarissime mente turbati. Quod matrem christi tanto videbant dolore teneri. Quis angelorū vel quis arcangelorum contra naturam illic non fleisset vbi contra naturam immortalis deus mortuus homo iacebat. Videbant christi corpus sic male tractatum ab impijs sic laceratum iacere exanimē totum suo cruentatum cruore illamq; piām illam sanctāz totā bonā totā pulchrā totā dulcē totā delectabilez suā beatissimā matrem mariā tantis cruciari singultibus tan amarīs repleri doloribus sic amarissime flere nullo modo poterant suas lachrymas refrenare. Et quis poterat tunc z lachrymis abstinere fiebat luctus z meror ab angelis presentibus ibi qualis decebat spiritus almus immo mirarer si angeli cuncti non fleissent etiā in illa beatitudine vbi est impossibile flere. credo quod z loquor quia dolebant si dolere valebāt: sicut enim possibile fuit deum per absumptum hominem mori ita possibile fuit āgelos beatos z morte dolere domini sui. Ioseph a barimatia vir sanctus z iustus qui cū nichodemo deposuerat christi corpus de cruce sicut ei euangelium testimonium peribet inuoluit eum in sindone munda conditum preciosis aromatibus z posuit illum in monumentum nouum quod fecerat sibi alacriter z deuote. Tūc illius exequias angelorum milia milium decantabāt qui conuenerant ad sepulchrum domini sui: illi cantabant laudes sed maria dabat gemitus z suspiria cordis: illi laudes extollebant ad celum maria plorabat amare iuxta sepulchru. Dum ioseph z nicodemus dominum ponerent in sepulchrum volebat mesta mater simul sepelli cum illo hec erat inixa super dilectus suum amplectens illum z cum omni amoris dulcedine de osculis ipsum dicebat. Misere mini mei misere mini mei saltem vos amice mei illum paululum adhuc relinquitē mibi vt faciem ipsi

us sub tracto velamine valeam contemplari z aliquantulum viuendo consolari. O charissimi mei nolite eum tan cito tradere sepulture date illum misere matri sue. vt habeam eum saltem defunctum: at si illum deponitis in sepulchrum me miseram sepe lite cum eo quia male post illum superest mater eius illi ponebant christum in sepulchro z illa eum trahēbat ad seipsam: illa volebat eum sibi retinere z illi volebant eum tradere sepulture. Et sic erat pialis z miserando contencio inter illos z omnes tūc sic amarissime flebant vt nullus eorum posset ad plenum verbū formare. Videbant matrem omni solacio destitutā z super illam ducebant potius plantum quam super extinctum dominus suum. Maior illis inerat dolor de matris dolore quam fuerat de sui domini morte fiebat luctus quocunq; transibat maria plorabat illa. Plorabāt omnes ambulantes cum illa flebant igitur cuncti miserando dolore gementes z sic dominum vite z mortis sepulture dederunt. Sepulto domino sepulchrum mater amplectitur z omni corde z qua poterat voce benedicebat filium suū ad sepulchrum sedens inixa capite illi extendebat manus de super osculans illud: amaro nimium dominum deplorans singultu. Accessit iohannes cui eam comendauerat christus z lugens ipse leuauit eam lamentando. Nam cruciata gemitibus fatigata doloribus afflicta ploratibus pedibus stare nequibat. Tamē sicut poterat mulieribus sanctis adiuncta cunctis plorantibus simul hyerusalem ingreditur: quam femine multe videntes super illius dolorem pietate mote ad luctus conuertebantur amarum: z illarū quedāz ambulantes post illāz etiāz lamentabantur plorabant multe que condolebant marie naz dolor eius multos faciebat dolentes. Tūc poterant lachrymas continere quocunq; videbant eāz plorantē taz pie plorabat z tan amare dolebat quod ex pio suo ploratu multos etiā inuitos trahēbat ad luctus: fiebat planctus quocunq; transibat maria. plorabat ipsa. plorabant z ambulantes cum ea. plorabant multi z veniētes

obuiam ei sicq; deducitur a flentibus lamentans quousq; per-  
uentum est ad domum iohannis. Ibi reledit ibiq; permansit ibi  
in domo sua eam iohannes retinuit. z sicut super propriam imino  
super propria eam omni corde dilexit. O felix z benedictus ioan-  
nes cui dominus talem comendauit thesauruz. Reddat tibi do-  
minus tante dilectionis mercedem: quantam in eius matrem  
tibi ab ipso comendatam semper habuisti. benedictus tu a chri-  
sto: benedictus z matre ipsius quam dilexisti puro z mundo cor-  
de. benedicti sunt omnes qui diligunt illam: z super omnia sit be-  
nedictus filius eius dominus noster ihesus christus qui cuz pa-  
tre z spiritu sancto uiuit z regnat in secula seculorum. Amen.

¶ Laus deo.

Opusculum de passione domini Impres-  
sus Alcalae in domo Arnaldi guiller-  
mi Broquarij. Anno salutis no-  
stre. millesimo quingente-  
simo. kalendas.  
Augusti.

617241455